hujus defectus communiter non apparet admodum gravis; interdum tamen esse potest, si, aut redundet in aliquam irreverentiam gravem ipsius sacramenti, aut, si eam ob causam aliquid omittatur, quod licet accidentale sit, tamen majoris momenti in Missa censeatur, ut, si ob negligentiam diaconi ministrantis calicem, mistio aquæ omitteretur; aut si subdiaconus vellet in Missa ministerium diaconi usurpare, nolletque epistolam dicere, aut aliquid hujusmodi. Tandem inquiri posset, an teneantur hi, præsertim diaconus et subdiaconus, disponi ad gratiam, ut digne solemniter ministrent. Sed hoc sufficienter attigimus supra, tractando de sacramentis in genere, et de dispositione quæ ad illa ministranda requiritur.

3. *Quæsitum.* — *Responsio.* — *Auctoris sententia.* — De alio ministro, qui absque ulla solemnitate vel consecratione Missæ inservit, solum necesse est, ut duo observet. Primum, ut juxta ritum ab Ecclesia præscriptum respondere sciat, atque respondeat, quia alioqui male faceret, usurpando ministerium, quod non potest nisi ineptissime præstare. Item quia, si non rite respondeat, revera non erit minister. Unde perinde erit, quoad hanc partem, cum illius præsentia ac sine ministro sacrificare. Sed quæres, an in casu necessitatis, quando nullus adsit qui respondere sciat, possit sacerdos uti aliquo, quem ipsemet sacerdos in eadem Missa ad respondendum instruat, præeundo, seu verba responsionum simul cum illo dicendo. Respondeo : si tanta sit necessitas, in qua liceat etiam sine ministro conficere, non est dubium, quin hoc etiam liceat; imo, cæteris paribus, potius esset utendum hujusmodi ministro, quam omnino sine ministro celebrandum, quia hoc modo minus violatur, etiam materialiter, Ecclesiastica consuetudo et præceptum. Unde consequenter existimo minorem necessitatem sufficere ad utendum hujusmodi ministro quam ad celebrandum omnino sine ministro; sine aliqua tamen legitima causa et magna indigentia ministrorum, non est hoc faciendum, quia est minus decens, et valde alienum a consuetudine Ecclesiæ, et a ritu ejus, ad quem spectat, ut sacerdos ea tantum proferat, quæ sui muneris sunt, et, alio respondente, taceat. Secundo tenetur hic minister actiones ad se pertinentes ea diligentia, et animadversione tractare, ut ejus occasione nullus defectus in Missa committatur; hoc constat, quia hæc obligatio ex natura rei sequitur, supposito usu talis ministerii; quoniam alias talis defectus merito ipsi ministro, et negligentiæ ejus tribueretur; ut, si, dum ampullas ministrat, loco vini afferat aquam, vel aliquid hujusmodi; quod tale est, ut si voluntarie fiat, gravem culpam contineat; regulariter vero excusantur hujusmodi ministri a gravi culpa, quando aliquid simile committunt, ob naturalem inadvertentiam; quoniam vero sæpe contingit, hujusmodi ministros, aut non esse satis instructos, nec per se omnino sufficientes, nec perfecta ratione utentes, ut in villis seu parvis oppidis sæpe accidit, ideo tunc maxime debent sacerdotes ipsi vigilare, ne aliquis defectus eorum occasione committatur. Alia, quæ ad hujusmodi ministros pertinere possunt, communia sunt cæteris, qui Missam audiunt, scilicet, quod reverenter et attente assistant, ac similia; an vero hujusmodi minister peccet ministrando sacerdoti peccatori, in superioribus tractatum est, agendo de indignis ministris sacramentorum.

DISPUTATIO LXXXVIII.

DE PRÆCEPTO AUDIENDI MISSAM.

Quamvis materia hujus disputationis ad tertium Decalogi præceptum pertinere videatur, de quo tractat D. Thom. 2. 2, quæst. 122, art. 4, quoniam præcipua pars sanctificationis festorum, prout in Ecclesia observatur, in Missæ auditione posita est, nihilominus non potuit in præsentia omnino prætermitti, quoniam ad integrum atque completum Missæ tractatum necessaria est. Diximus enim in superioribus, quamvis sacerdos sit, qui proprie ex officio offert hoc sacrificium Missæ, cæteros tamen, qui assistunt, etiam suo modo per illum offerre; et ideo, sicut de sacerdotibus diximus, quando, et quomodo offerre teneatur, ita etiam de cæteris offerentibus, qui Missæ assistunt, id explicare necesse est; præsertim quia, cum dictum sit de sacerdote offerente, et ministro adjuvante, oportet etiam de assistentibus dicere, et de eorum obligationibus; nam in cæteris, qui remote dicuntur offerre, nulla specialis obligatio considerari potest; ad assistentes autem proprie pertinet præceptum de Missa audienda. De quo primo videndum est, an sit; deinde quomodo sit implendum, et quæ possint ab illius observatione excusare.

SECTIO I.

Utrum sit in Ecclesia præceptum de Missa audienda.

1. Non defuerunt, qui hujusmodi præceptum esse negarent, quam opinionem aliqui tribuunt Angelo, verb. Feriæ, num. 42, qui citans Richard., Quodlib. 1, quæst. 19, negat, omissionem Missæ in die festo esse peccatum mortale, nisi ex contemptu formali vel virtuali fiat. Quod etiam affirmavit Sum. Rosel., verb. Missa, et Turrecrem., in capit. Missas, de Consec., dist. 1; vocant autem contemptum virtualem, quando quis absque ulla legitima causa assuefit omissioni Missæ in prædictis diebus. Sed hi auctores non omnino negant præceptum, sed male illud declarant.

2. *Conclusio.* — Dicendum est ergo, esse in Ecclesia præceptum impositum fidelibus audiendi Missam certis diebus, quos festos appellamus, quod inferius declarabimus. Hoc est de fide certum, absolute loquendo, quamvis Soto in 4, dist. 13, quæst. 2, art. 1, in fine, solum dicat, qui negaret hanc veritatem, puniendum esse, tanquam suspectum adversus sancta mandata. Probatur autem conclusio. Primo ex multis decretis, quæ habentur de Cons., dist. 1, cap. Missa, cap. Omnes fideles, et aliis, quæ in sequentibus afferemus, in quibus, et præceptum datur, et per verbum præcipiendi expresse proponitur, quod ex vi et proprietate sua necessitatem inducit, ut Augustin. ait, lib. de S. Virginitate, cap. 14 et 15. Secundo ex usu et consuetudine Ecclesiæ; nam inter prima fidei rudimenta hoc præceptum tertio loco inter Ecclesiastica numeratur; et ita est communi sensu omnium Catholicorum receptum. Tertio ex communi Doctorum omnium consensu, D. Thomæ, citato loco; Soto, 2 de Justit., quæst. 4, art. 4, et in 4, dist. 13, ubi supra; et ibi Palud., quæst. 13; et Summistarum omnium, verb. Missa, verb. Feriæ, et verb. Festor. observatio; Navarr., dict. cap. Quando, et in Summ., cap. 13, num. 16, et cap. 21; Castro, lib. de Leg. pœn., cap. 5 et ultim.; et aliorum Canonist., in dictis capitibus de Consecr., dist. 1. Quarto accedit congruentia; nam illi dies deputati sunt ad divinum cultum; et ideo, sicut aliquid illis diebus ab Ecclesia prohibetur, quo possint homines expediti esse ad vacandum divinis rebus, ita etiam aliquid positive præcipi oportuit, quo fideles eisdem diebus Deum colerent; sed nihil accommodatius præcipi potuit, quam ut Missæ assisterent, in qua supremus Dei cultus exterior continetur.

3. *Quæsito satisfit.* — *Cultus externus Dei est de jure naturæ.* — Hinc autem oritur quæstio, an hoc præceptum mere Ecclesiasticum sit, vel aliquo modo ex naturali, aut divino jure descendat. Respondeo, supposita institutione hujus sacrificii (nam sine illa, constat nullum posse esse hujusmodi præceptum), præceptum hoc esse valde consentaneum juri naturali. Primo quidem, quia præceptum sacrificandi quodammodo est de jure naturæ; et ideo apud omnes etiam gentes servatum est, ut omnes, qui ad aliquem populum vel rempublicam pertinent, aliquo modo et aliquibus diebus congregentur et conveniant ad colendum Deum eo ritu sacrificandi, quem unaquæque respublica profitetur; nam, sicut sacrificium est communis et publicus cultus, qui nomine omnium offertur, ita etiam ratio ipsa postulat, ut omnes aliquando assistant, suumque consensum, et cooperationem, quomodo possunt, præbeant. Secundo, quia, sicut cultus externus Dei est de jure naturæ, ita etiam, quod tempus aliquod ad hunc cultum deputetur, ad jus naturæ pertinet, quamvis hujus vel illius diei designatio sit de jure positivo, ut D. Thom., dict. art. 4, ad 1, docet, et omnes cum illo; hoc autem naturale jus optime impletur, deputando aliquos dies ad colendum Deum per Missæ sacrificium, ei assistendo; hoc ergo modo ducit originem hoc præceptum a jure naturæ. Et eadem ratione est valde consentaneum juri divino; nam Deus præcepit ac voluit, se coli in Ecclesia Christi hoc genere sacrificii, juxta illud, *Hoc facite;* ergo valde consentaneum huic præcepto est, ut omnes fideles obligentur ad colendum Deum aliquando hoc sacrificio, unusquisque eo modo, quo potest; ergo, vel offerendo, vel saltem assistendo. Imo, si factum Christi consideretur, probabiliter intelligi potest verbum illud, *Hoc facite,* ita ut hoc totum comprehendat, nam ibi, et Christus sacrificavit, et discipuli assisterunt sacrificio; ergo Christus præcipiens, ut id fieret in Ecclesia, voluit et a sacerdotibus offerri, et ut fideles ei aliquando assisterent; quamvis enim ex illis verbis non colligatur, necessariam esse præsentiam populi, ut hoc sacrificium offeratur, neque teneri populum toties huic sacrificio assistere, quoties ipsum offertur, colligitur tamen probabiliter, teneri populum aliquando assistere huic sacrificio ad memo-

riam passionis Christi recolendam, et per ejus repræsentationem, realemque ipsius Christi præsentiam et oblationem, Deum colere, deprecari, eique pro susceptis beneficiis gratias agere. Sed, quamvis hæc, quæ probabilia sunt, non cogant, ut simpliciter asseramus, præceptum hoc audiendi Missam, etiam in communi sumptum, esse de jure divino, satis ad rem moralem est, quod sit illi valde consentaneum, licet absolute Ecclesiasticum tantum sit; non est enim dubium, quin possit Ecclesia in tali materia ad divinum cultum adeo pertinente, et ad spiritualem fructum fidelium utilissima, præceptum ponere, etiam si divino jure latum non sit.

4. *Corollarium. — Notabile.* — Atque hinc sequitur primo, præceptum hoc inducere gravem obligationem, ita ut illud transgredi omnino vel uno tantum die, pro quo obligat, sine ulla legitima causa excusante, peccatum mortale sit, etiamsi non ex contemptu, juxta interpretationem Angeli et Richardi, sed ex mera voluntate, aut negligentia et vecordia culpabili, vel ex affectu ad aliam actionem, aut alio simili modo voluntarie omittatur. Ita sentiunt omnes auctores supra citati, quia materia ex suo genere gravis est, cum ad cultum divinum pertineat; et in particulari integra Missa vel ejus omissio etiam est res satis gravis; non ergo solum ex assidua omissione fit hæc culpa mortalis, sed etiam ex singulis actionibus seu omissionibus integris; omissio enim alicujus partis potest esse tantum venialis culpa, ut infra dicemus. Et confirmatur, nam, si quis voto se obligaret ad audiendam Missam uno die, et id omitteret, peccaret mortaliter. Sed non minus obligat Ecclesiæ præceptum, quam votum proprium; neque est minus gravis auditio Missæ respectu præcepti, quam respectu promissionis. Item, transgressio jejunii ecclesiastici unius diei est peccatum mortale. Item in sacerdote omissio officii canonici in uno die est mortale peccatum; sed non est res minus gravis oblatio sacrificii et auditio Missæ; ergo pro singulis diebus seu vicibus obligat hoc præceptum sub mortali. Et hic jam est omnium fidelium sensus. Intelligendum est autem hanc culpam esse mortalem ex suo genere; nam ex accidente potest esse, vel venialis, vel nulla. Idque duplici ex capite : primo ex parte materiæ, si non tota Missa, sed aliqua pars ejus omittatur; quæ autem et quanta hæc sit, infra declarabitur. Secundo ex parte operantis, quia, scilicet, ex naturali inadvertentia, vel ignorantia culpabili, vel saltem non graviter culpabili, omittit; ut, si habens animum audiendi Missam incipiat actione aliqua occupari, et postea adeo obliviscatur, ut priusquam advertat, elapsum sit tempus commodum ad Missam audiendam; tunc enim excusatur a culpa, non solum, si actio illa, in qua occupatur, studiosa sit et honesta, ut quidam putant, sed etiamsi sit cujuscumque ordinis, quia illa non excusat, eo quod bona vel mala sit, sed propter involuntarium, quod occasione illius accidit, per inadvertentiam omnino naturalem et nullo modo prævisam; supponimus enim, actionem illam de se non esse talem, quæmorale periculum afferat illius oblivionis, vel omissionis, vel saltem, quod tale periculum non sit prævisum, neque animadversum; quod commune esse potest, tam actioni malæ quam bonæ. Similiter (ait Cajetanus, verb. Festorum violatio), si quis absque sufficiente causa omittat sacrum in die festo, bona fide putans causam esse sufficientem, cum revera non sit, excusari potest a culpa vel saltem a mortali; et idem notat Navarr., cap. 21, num. 14, quod generale est omnibus peccatis, ut constat ex materia de conscientia, et notat idem Navarr., cap. 23, num. 42; est autem difficile, in particulari judicare, quando hæc ignorantia sit nimium vel leviter culpabilis; non enim semper hæc existimatio excusat, si temere habeatur, vel si quis negligat interrogare, cum dubitat, et potest; sed considerandæ sunt circumstantiæ et conditiones personæ, et præsertim, an bonam illam fidem simpliciter et sine hæsitatione habuerit; nam tunc ordinarie est invincibilis et excusat, saltem a culpa gravi.

5. *Aliud corollarium. — Secunda Angeli opinio rejicitur.* — Secundo sequitur ex dictis, falso dixisse Angelum, dicto verb. Feria, num. 45, si quis non possit in die festo simul Missæ et prædicationi interesse, potius debere Missam, quam concionem omittere, si alterutrum audire possit. Sed errat graviter, quia audire Missam est in præcepto; audire autem concionem, non ita; ergo per se loquendo, præferenda est Missa concioni. Dico autem, *per se*, quia in aliquo raro casu, si quis non posset in fide instrui aut ab hæreticis defendi, nisi audita concione vel instructione alicujus Doctoris seu concionatoris Catholici, posset interdum in ea occasione excusari ab obligatione audiendi Missam, sicut potest excusari propter alias causas minus etiam graves et necessarias, ut infra videbimus.

6. *Tertium corollarium.* — Tertio sequitur, posse Pontificem in hoc præcepto dispensare, cum ecclesiasticum sit, quamvis talis dispensatio non videatur esse in usu, quia vix potest esse necessaria aut conveniens. Dispensare enim cum aliquo, ut nunquam in tota vita Missam audiat, si nolit, etiamsi possit, neque ulla rationabili causa impediatur, non potest esse expediens; talis enim dispensatio non esset in ædificationem, sed in destructionem, et aliquo modo repugnaret juri et cultui divino; dispensare autem, ut, interveniente aliquo impedimento Missa possit sine culpa omitti, moraliter necessarium non est, quia, si tale impedimentum rationabile sit, per se sufficit ad excusandum, ut infra videbimus; imo tot sunt hæc impedimenta, tamque ampla facultas in hac re conceditur ab auctoribus, ut aliam præter illa omnia in hac re desiderare, ab animo fideli et religioso videatur alienum; ac propterea hæc dispensatio, neque in usu est, neque expedit eam esse.

SECTIO II.

Quæ sit materia hujus præcepti, seu quid intelligatur nomine Missæ, quæ audiri præcipitur.

1. *Divisiones Missæ assignantur.* — Missa, ut supra vidimus, dividi potest in Missam catechumenorum, et fidelium, et ex utraque constantem. Item, in solemnem, seu quæ cum cantu dicitur, et privatam, seu quæ tantum recitatur. Item, in Missam votivam, et de die, et de his omnibus dubitari in præsente potest, quam Missam unusquisque audire teneatur, ut huic præcepto satisfaciat.

2. *Circa primam divisionem quid certum.— Notabile.* — Et quidem circa primam divisionem certum imprimis est, præceptum hoc obligare fideles ad audiendam totam Missam, a principio usque ad finem, ut constantem ex Missa catechumenorum et fidelium. In hoc omnes Doctores conveniunt, et probatur sufficienter ex cap. Omnes fideles, de Consecrat., dist. 1 : *Omnes fideles, qui conveniunt in solemnitatibus sacris ad Ecclesiam, ut Scripturas Apostolorum et Evangelium audiant, qui autem non perseverant in oratione, usquedum Missa peragatur, convenit communione privari.* Et in cap. Missas, sic dicitur : *Missas die Dominico secularibus totas audire speciali ordine præcipimus.* Verum est in aliquibus antiquis codicibus deesse in Concil. Agat., c. 47, particulam illam, *totas;* tamen in Conciliis a Surio editis non deest, et in Decreto Gregor. nihil circa hoc notatur, quod est signum, judicatum esse, illam particulam ita fuisse in vero originali Concilii, sicut a Gratiano posita est; unde in eodem textu et in cap. Cum ad celebrantes, eadem distinctione, prohibetur fidelibus, ne ante completam Missæ solemnitatem et benedictionem sacerdotis, discedant. Et in hoc sensu intellectum est, et receptum hoc præceptum communi sensu et consuetudine totius Ecclesiæ, quod ita etiam observandum declaratur in Concil. Colon. I, part. 7, c. 26, in 1 tom. Concil. Quocirca, quod in prædicto canone dicitur, debere fideles Missas totas audire, quamvis distributione accommoda sufficienter intelligatur, ut unusquisque Missam integram audiat; nullus enim tenetur plures audire, sed unam tantum, ut infra dicam; tamen, si etiam ad singulos velimus Missas in plurali referre, recte etiam intelligi potest, debere unumquemque fidelium audire integras Missas catechumenorum et fidelium; sic enim totum Missæ officium dici sæpe solet, Missarum solemnitas seu celebratio, ut patet ex cap. Quoque, cap. Cum ad celebrandas, et aliis, eadem dist. Ratio autem hujus conclusionis nulla alia est, nisi quia ita præceptum est; fuit autem hoc valde conveniens, quia sicut institutum est ab Ecclesia propter reverentiam sacramenti, propter instructionem et admonitionem fidelium, ut Missæ sacrificium cum toto illo cæremoniarum apparatu fiat, ita merito omnibus fidelibus præcipitur, ut toti sacrificio, prout in Ecclesia fit, assistant.

3. *Corollarium. — Adnotandum. — Notabile.* — Ex hac certa conclusione sequitur, non posse fideles voluntarie et sine legitima atque excusante causa, omittere aliquam partem Missæ, etiam minimam, sine culpa, quia, vel in toto, vel in parte, non adimplebunt hoc præceptum. Item, quia sacerdos voluntarie omittens aliquam partem totius officii canonici peccat, quia tenetur, officium illud integrum dicere; ergo similiter, etc. Item, quia in die jejunii nihil omnino comedi potest extra tempus præscriptum, sine culpa, seclusa rationabili causa excusante pro ratione materiæ, quia illo præcepto simpliciter prohibetur cibus; sed similiter in præsente præcepto, licet affirmativum sit, tamen ob integritatem, quam præcipit, includit negativum, scilicet, ut nihil de tota Missa omittatur : ergo. Tandem, quia ideo in jure expresse cavetur, ut ante benedictionem sacerdotis

nullus discedat. Ubi obiter adnotari potest, cum nuper introductum seu ordinatum sit, ut post benedictionem sacerdotis, initium Evangelii D. Joannis dicatur, fortasse non peccari venialiter, etiamsi statim post datam benedictionem aliquis discedat, illo Evangelio non audito, quia jam servat præceptum, etiam juxta tenorem et verba legis, et quia illud Evangelium non videtur ad integritatem Missæ pertinere. Nihilominus tamen hoc non est vulgari populo dicendum, sed potius reprehendendi sunt, qui hoc faciunt; nam revera non id faciunt quod per se loquendo decet, et nonnullam inquietudinem cæteris commovent, quod maxime cavendum dicitur in dict. cap. Omnes fideles. Ac denique satis probabile est, jam illud Evangelium esse partem totius officii Missæ, et comprehendi sub illa particula, *totas*. Quod autem in antiquis juribus præcipiebatur fidelibus, ne discederent ante benedictionem, non materialiter, sed formaliter sumendum est, id est, usque ad finem Missæ; ideo enim tunc benedictionis mentio facta est, quia ibi Missa finiebatur. Illud etiam hic adnotandum censeo, quod Doctores advertunt, eos, qui Missæ inserviunt, quamvis aliquas ejus partes non videantur percipere vel audire, dum per Ecclesiam discurrunt vel ad sacellum accedunt, ut vinum, thus, aut similia ad Missam necessaria afferant, non tamen propterea esse censendos partem ullam Missæ omittere, sed potius toti assistere, cum toti inserviant et ad hoc semper intendant. Ita Sylvest., verb. Missa 2, quæst. 1; Tabiena, verbo Missa, num. 10; Anton., 2 part., tit. 9, cap. 10, § 1; Navarr., in cap. Quando, de Consecr., d. 1, notab. 10, num. 18; quod intelligendum est, dummodo bona fide procedant, et mediocrem diligentiam adhibeant, ne plus justo et sine necessitate absint, aut in sacello vel aliis locis immorentur. Debent etiam non reservare in illud tempus earum rerum præparationem, quæ ante Missam præveniri possunt, ut in illo tempore solum his actionibus incumbant, quas solemnitas officii requirit, et quæ antea commode præveniri non possunt; si tamen contingat, alia etiam, quæ præveniri poterant, ex oblivione vel incuria fuisse omissa, et inter Missarum solemnia esse quærenda, vel præparanda, tunc licitum erit ob eam causam abesse, quia omnino expedit, ut ad integram Missæ solemnitatem nihil desit; et minister excusabitur ratione jam dicta; quanquam si oporteret magnam partem Missæ omittere ex accidentali occasione, ut, verbi gratia, si deesset vinum, et extra Ecclesiam quærendum esset, tunc teneretur aliam Missam audire, si posset; si autem non posset, excusaretur ratione justi et debiti ministerii.

4. *Aliud corollarium. — Advertendum.* — Secundo sequitur, hanc culpam seu transgressionem, quæ committi potest in omissione partis Missæ, non esse semper æqualem, sed graviorem aut leviorem, juxta quantitatem partis omissæ; et consequenter esse mortalem, si pars omissa gravis est; venialem autem, si sit levis, in quo etiam omnes Doctores conveniunt. Difficultas autem inter eos est in judicio ferendo de parte, quæ sufficit ad mortale peccatum, vel in qua omittenda solum venialiter peccabitur. Videntur tamen in hoc convenire, quod dimidia pars Missæ, vel etiam tertia, sit gravis et sufficiens ad peccatum mortale, si tota omittatur; e contrario vero partem minorem quarta parte Missæ, ex his, quæ accidentalia sunt, præsertim, si ex principio aut fine Missæ sumatur, solum esse materiam venialis peccati. Unde aliqui designant introitum Missæ cum his, quæ præcedunt, usque ad Epistolam exclusive. Atque ita videntur loqui Antonin., Tabien. et Sylvest. supra, non tamen satis explicant; apertius id declaravit Sandoval, tractat. de Officio Eccles., part. 6, cap. 14. Alii vero hoc extendunt usque ad Evangelium exclusive. Itaque, si ab initio Evangelii usque ad finem Missæ audiat, non peccabit mortaliter, quod expressius moderni declararunt, ut Soto, dist. 13, quæst. 2, art. 1; Navarr., cap. 21, num. 2, et c. Quando, de Consecration., d. 1, notab. 10, n. 17; quia illa pars nondum censetur quarta pars Missæ, nec notabilis. Intelligendum autem hoc est, dummodo Missam reliquam usque ad finem audiat; nam, si quis in principio usque ad epistolam inclusive omitteret, et postea, statim post communionem sacerdotis egrederetur, nimia esset licentia, nec careret scrupulo peccati mortalis; oportet ergo, ut saltem assistat usque ad dimissionem populi vel sacerdotis benedictionem. Si autem quis a principio Missam audiat et usque ad communionem assistat, quamvis reliquum omittat, non erit peccatum mortale, quia illa non est pars notabilis; imo quamvis aliquid ex principio et fine omittat, poterit non esse mortale, si ex utroque non conficiatur notabilis quantitas, ut, verbi gratia, si a principio epistolæ, usque ad integram communionem sacerdotis inclusive assistat, quia epistola

æquivalere censetur orationibus, quæ post communionem sequuntur.

5. *Opinio Navarri rejicitur.* — Addit vero Navar. quod, licet quis ab offertorio vel symbolo incipiat Missæ assistere, satisfaciet præcepto, ita ut mortaliter non peccet, dummodo postea legat vel sibi legi faciat Evangelium Missæ. Sed imprimis hæc limitatio videtur impertinens, quia lectio Evangelii extra Missam, neque est pars Missæ, nec facit unum cum illa, nec cadit sub hoc præceptum; unde impertinens est ad implendum illud; nam, si quis absque culpa ob impotentiam, initium Missæ omittat usque ad Evangelium inclusive, non tenetur postea ex vi hujus præcepti ad legendum Evangelium; non enim est, unde hæc obligatio oriatur, nec consuetudo id habet. Quapropter illa licentia nimia esse videtur; nam ex ea sequitur, posse totam illam partem omitti absque peccato mortali, sive legatur postea Evangelium, sive non, quia, ut dixi, hoc est impertinens; consequens autem videtur absurdum, quia revera illa est pars notabilis; nam, ut minimum est quarta pars Missæ, quæ pars in qualibet re existimatur notabilis, et cum hæc res sit moralis, non est amplianda. Posset autem hæc opinio Navarri practice tolerari in alio sensu, scilicet si is, qui Evangelium omisit, audiat totam Missam reliquam usque ad Evangelium Joannis inclusive; nam illud Evangelium jam est aliquo modo pars Missæ, ut supra dicebam; et alioqui est probabile, non teneri fideles ad audienda duo Evangelia, neque ad assistendum, nisi usque ad dimissionem vel benedictionem; et ideo audiendo postremum Joannis Evangelium, videtur posse compensari aliud Evangelium in principio omissum, et ita satisfieri præcepto.

6. Ultimo denique circa hæc advertere oportet, in his partibus Missæ non tam esse considerandam temporis moram, quam dignitatem, et propinquitatem vel necessitatem ad substantiam sacrificii; et ideo auctores facilius permittunt, omitti ea, quæ antecedunt vel sequuntur canonem Missæ, in quo maxime necessaria sunt, quæ a consecratione usque ad consumptionem continentur; et ideo est valde probabile, non impleri præceptum, etiam quoad substantiam ejus, si quid eo tempore omittatur vel intermittatur, etiam si tempus breve esse videatur, ut, v. gr., si quis egrederetur Ecclesiam, quando sacerdos vult consecrare, et finita consecratione, statim ingrederetur, nam omitteret substantiam sacrificii; et idem fortasse esset, si ante communionem discederet, quia, vel est de substantia, vel maxime pertinens ad perfectionem sacrificii. Sed quamvis hæc tutiora sint, non est tamen semper scrupulus injiciendus, quando tempus est admodum breve; dummodo consecratio et sumptio simul non omittantur, quia res hæc moraliter judicanda est, et adhuc non satis constat, in quo præcise consistat substantia sacrificii.

7. *Quæsito satisfit. — Moderatio aliquorum non est necessaria.* — Sed quæres, quid agere debeat, qui aliquam partem Missæ omittit, ut culpam evitet. Respondetur, variis modis posse hoc accidere: primo, ut pars illa non sit notabilis, et a principio involuntarie omnino omittatur, ut, si quis accedat ad Ecclesiam animo audiendi integram Missam, et casu inveniat aliquam inchoatam in orationibus vel epistola, et illam audiat. Vel, si a principio eam audivit, et postea, justa aliqua orta occasione, cogitur discedere statim post communionem sacerdotis; et in his casibus existimo non peccare, etiam venialiter, quia illa partialis omissio tunc non solum est levis, sed etiam est involuntaria et casualis, vel habet sufficientem excusationem; neque necessarium est ad hanc culpam venialem excusandam, quod ille defectus suppleatur in alia Missa, etiamsi fieri possit, quia jam præceptum est substantialiter impletum, et ille defectus involuntarie admissus est, illeque modus supplendi illum est valde imperfectus et non multum conducens ad Missæ integritatem. Secundo fieri potest, ut hæc partialis omissio a principio committatur voluntarie, ut si quis sciens et videns, nolit ingredi Ecclesiam, donec epistola dicta sit, animo adimplendi præceptum, reliquum Missæ audiendo, et tunc semper venialiter peccatur. Neque existimo necessariam moderationem, quam aliqui addunt, scilicet, nisi illa pars, quæ omittitur, minima sit; quantumvis enim sit parva, est irrationabilis voluntas omittendi illam, nisi legitima causa adsit; neque oportet etiam excipere confessionem sacerdotis, ut aliqui excipiunt, quia non putant esse partem Missæ; est enim hoc gratis dictum; nam sub ritu et nomine Missæ totum id comprehenditur, et ita hoc totum etiam complectitur præceptum audiendi Missam; postquam vero hic defectus jam commissus est, non est obligatio illum supplendi in alia Missa, propter rationes insinuatas, et quia res morales non sunt adeo

rigorose expendendæ, præsertim quando leviores sunt.

8. *Valde advertendum. — Notabile.* — Tertio fieri potest, ut pars omissa sit notabilis, et quod a principio fuerit involuntarie omissa, ut si quis veniens ad Ecclesiam, inveniat sacerdotem jam esse progressum in Missa fere usque ad consecrationem, et illam Missam audiat, timens, non futuram aliam; tunc ille quamvis proprie non adimpleat præceptum, excusabitur tamen a culpa, si mora illa involuntaria fuit; si tamen quocumque casu accidat, ut postea alia Missa dicatur, tenebitur ita supplere defectum, ut præceptum impleat, quia nondum illud impleverat, et jam tollitur ratio excusationis. In hujusmodi autem casibus valde advertendum est, sæpe prius peccari graviter ratione periculi, cui homo se exponit, non inveniendi Missam, quamvis postea forte casu accidat, ut illam inveniat; nam ille jam dedit, quantum est ex se, moralem causam omissionis, quamvis postea casu acciderit, ut illa causa non habuerit effectum, quia fortuiti eventus non excusant priorem culpam. In quo debent confessores esse solliciti, ut culpam discernant, et non ab eventu, sed a negligentia et voluntaria mora cum periculo morali, de illis dijudicent. Quarto denique potest hæc pars notabilis Missæ voluntarie omitti; et quidem, si id fiat, animo non audiendi aliam Missam, nec supplendi illum defectum, jam peccatur mortaliter; nihilominus tamen semper manet obligatio supplendi illum defectum, quoad fieri possit, quia illud peccatum magis consistit in proposito interiori, quam in exteriori omissione, quæ non est in re posita, donec elapsum sit totum tempus, in quo potest impleri præceptum, et ideo tale præceptum semper obligat ad mutandum illud propositum. Si autem illa pars omittitur, animo audiendi aliam Missam, vel supplendi defectum, non peccatur, audiendo eam partem Missæ, dummodo postea præceptum impleatur, ut per se constat.

9. *Quæsitum. — Communis auctorum sententia. — Fundamentum communis sententiæ. — Propria totius significatio. — Auctoris sententia.* — Sed tunc inquiri potest, quomodo supplendus sit ille defectus; an, scilicet necesse sit audire aliam Missam integram, vel sufficiat, in alia audire eam partem, quæ in altera omissa fuit, ita ut sufficiat a principio habere hanc intentionem. Communiter auctores docent, satis esse in hujusmodi casu audire in altera Missa partem omissam in alia, adeo ut, licet ex directa intentione id fiat, censeant sufficere ad substantiam præcepti implendam, quamvis, si absque causa fiat, peccatum veniale sit propter nonnullam irreverentiam. Ita tenet Major in 4, dist. 12, et d. 45, quæst. 2; Soto, d. 13, quæst. 2, art. 1; Navar., in Sum., c. 21, num. 2, et in c. Quando, de Consec., d. 1, notab. 10, num. 18 et seq.; et recentiores communiter hoc sequuntur. Fundamentum eorum est, quia præceptum solum obligat ad audiendam totam Missam, non vero quod ab uno sacerdote continenter audiatur; hoc enim non habetur in verbis legis, ut patet in citatis juribus; sed qui ab uno sacerdote audit Missam unam ab offertorio, v. gr., vel consecratione, ab alio vero audit aliam a principio usque ad offertorium vel consecrationem, revera audit totam Missam, licet non ab uno sacerdote; ergo implet præceptum. Dices, illum non audire Missam debito ordine, cum prius posteriorem partem, postea priorem audiat. At vero in dict. c. Missas, signatim præcipitur, *ut speciali ordine audiat.* Quod si dicas, saltem posse e contrario fieri, ut prius pars prior Missæ, et deinde posterior audiatur, contra hoc est, quia saltem jam illa sententia non erit in universum vera; et deinde, etiam in prædicto casu, non videtur servari debitus ordo Missæ, quandoquidem non continue, nec per modum unius integri officii sacri auditur. Hoc argumentum fundatum in illo verbo prædicti textus, *Missas audire speciali ordine præcipimus,* non habet magnam vim, quia illud verbum, *speciali ordine,* non videtur construendum cum verbo, *audire,* sed cum verbo, *præcipimus,* ita ut sensus sit, speciali ordinatione seu lege præcipimus, Missas audire. Fundatum autem prædictum argumentum in verbo illo, *totas Missas,* adjuncta, et morali, et physica ratione, non videtur contemnendum, quia totum proprie non significat partes disjunctas, et quovis modo aggregatas, sed unitas, et debito ordine conjunctas, maxime, si totum artificiale sit; sed illæ duæ partes Missæ sunt disjunctæ et divisæ, nec debito ordine et modo conjunguntur ad unam Missam componendam; ergo audire illas duas partes, non est audire Missam vel totam Missam. Et confirmatur, nam hac ratione, si unus sacerdos nunc consecraret corpus, et post horam consecraret sanguinem, facta interruptione morali, v. gr., exeundo se vestibus sacris, et aliquid aliud interim agendo, non efficeret unum sacrificium, neque unam Missam diceret, quia, licet in re efficeret utramque partem, non tamen efficeret illas conjunctas et unitas, prout necesse est ad hoc sacrificium; ergo idem est de audiendo. Et augetur præterea difficultas, quia alias sequitur, posse aliquem implere Missæ præceptum, audiendo simul duas partes Missæ, ut si, v. gr., in uno altari una inchoetur, et in alio altera continuetur a consecratione (et idem argumentum fieri potest de tribus altaribus, etc.); consequens autem est valde absurdum, quod nemo hactenus concessit, quem ego viderim; sequela vero patet, quia etiam ille audit totam Missam; potest enim utrique esse sufficienter præsens, et sufficientem attentionem adhibere. Quod vero simul id fiat, non refert, quia etiam potest quis simul duo præcepta implere, scilicet, recitare horas canonicas, et audire Missam in die festo. Neque etiam refert brevitas temporis, quia hæc est per accidens, ut patet in dicto exemplo; nam, qui tempore Missæ recitat horas, brevius tempus in divinis rebus consumit, quam si singula suis temporibus faceret. Propter hæc suspecta mihi semper fuit illa doctrina, quam nonnullis etiam modernis Theologis et Jurisperitis displicere video, quia revera est parum consentanea intentioni Ecclesiastici præcepti, et religioni ac reverentiæ debitæ huic sacrificio. Et saltem censeo valde pertinere ad substantiam hujus præcepti, ut tota Missa fidelium, ab oblatione usque ad consumptionem, continue et per modum unius sacrificii audiatur, ut debito modo possit audiens suas partes exhibere ad integre offerendum sacrificium per sacerdotem eo modo, quo sibi possibile est; quoad accidentalia vero facilius admitterem, posse prædicto modo suppleri, maxime ob aliquam probabilem causam seu necessitatem; nam sine illa res est reprehensione digna. Nihilominus propter auctoritatem dictorum auctorum non potest practice condemnari contraria sententia; et ideo, qui ex illa fuerit operatus, non peccabit mortaliter; et ad rationes in contrarium dici potest cum Glossa in c. Quorumdam, dist. 23, in Missa, quia ejus unitas est cujusdam solemnitatis, posse ex duobus imperfectis unum aliquo modo constitui, ita ut saltem sufficiat ad implendum præceptum; nam si quid deest ad perfectionem, non censetur sufficiens ad culpam mortalem, et talis posset intercedere causa, ut excuset etiam a veniali.

10. *Quæsitum.* — Circa secundam Missæ divisionem de solemni et privata, inquiri potest, an teneantur fideles audire in sua parochia Missam, quam majorem vocant, quæ pro universa plebe cum cantu dici solet. Multi enim auctores Canonistæ tenent, ex vi juris communis teneri fideles ad audiendam Missam diebus festis in sua parochia; quibus favet Sixtus IV, in c. 2 de Treuga et pace, in Extravagant. commun., ubi in concordia inter fratres Mendicantes et parochos ponitur, quod fratres Mendicantes non prædicent, populos parochianos non teneri audire Missam in eorum parochiis diebus festivis et Dominicis, cum jure sit cautum illis diebus teneri parochianos audire Missam in eorum parochiali Ecclesia, nisi forsan ex honesta causa ab ipsa Ecclesia se absentarent; unde in c. 2 de Parochiis statuitur, ut Dominicis vel festivis diebus presbyteri, antequam Missam celebrent, plebem interrogent, si alterius parochianus in Ecclesia sit, qui proprio contempto presbytero, ibi velit Missam audire, quem si invenerint, statim ab Ecclesia abjiciant. In his autem decretis, quamvis non sit expressa mentio de Missa solemni et majori, tantum revera videtur de illa esse sermo; nam ad illam solebant semper fideles diebus Dominicis, et solemnibus convenire, ut supra ex Justino, et multis Patribus ostensum est. Item de illa plane est sermo in c. Omnes fideles, c. Missas, c. Cum ad celebrandas, de Cons., d. 1, in quibus præcipitur, ut *populus non discedat ante benedictionem sacerdotis;* et in c. Et hoc attendendum, eadem distinctione, cavetur, ut per dies solemnes, privatæ Missæ non ita in publico fiant, ne populus a publicis Missarum solemnibus abstrahatur; et, ut sacerdotes, qui in circuitu urbis, aut eadem urbe sunt, et populus in unum ad Missarum publicam celebrationem conveniant. Idemque colligi potest ex c. Si quis extra parochias, eadem dist. Et confirmatur; nam fideles debent his diebus aliquam oblationem in Missa facere, c. Omnis Christianus, de Consecr., d. 1; hæc autem fit in Missa solemni, et debet fieri in propria parochia; ergo signum est, in eadem debere audiri Missam majorem.

11. Confirmatur secundo, quia in Missa majori parochiæ solent publicari fidelibus dies festivi, jejuniorum, excommunicationes, et similia, quæ culpabiliter ignorabunt, si non adsint; imo illa consuetudo indicat obligationem illic audiendi Missam.

12. *Prima conclusio.* — Sed imprimis,